

reis in Sextante annexa, perfici potest, extende utraq; crura liberâ manu, relaxatis conorum cochleis, ad propositam præterpropter intercapedinem, non longè à verâ stellarum remotione, tunc constringe iterum prædictas cochleas, & attrabe ope brachiolorum Orbem minorum cum axiculâ, ut lenissimè cavitatem limbi tangat, index simul ad principium numerandi accuratè sistatur, postea, firmatis ubiq; cochleis, prebende cochleam illam dextro - sinistram, quam, directoriam nominare placet, verte leniter ac tardè, & videbis, contracto vel dilatato pede Circini mobili, qui regulæ fiduciæ vicem subeat, unâ indicem velocissimo motu circa orbem gyrari: interea Socio per pinnacidia ad propositam stellam attentissimè collineante (possunt autem pro astris rimandis dioptra triplici modo usurpari, ut infra docebitur) verte & converte cochleam directoriam hûc, illûc, donec alteram stellam desideratam sub pinnacidio tuo rectissimè assequutus fueris; quo obtento numerabis prius gradus in limbo, & attento diligentissimè, quot vicibus index super orbem volutus fuerit, num semel, bis, vel ter id factum sit, & ubi acquieverit, quod remanet ultrâ tot 15. minuta prima post principium conversionis, dabit tibi non solum reliqua minuta prima, sed & secunda exactissimè: Quò autem certior instituta tuæ observationis fieri queas, reitera opus cum socio, si omnia cum prioribus exactissimè conveniant, bene se res habet, si secus, scito te errasse.

§. 3.

Dictum est supra triplici modo pinnacidia pro astris rimandis adhiberi posse. Imprimis autem scire interest, pinnacidia nostra ad imitationem trium summorum Astronomorum, Tychonis nempe, Riccioli & Hevelii esse adornata, & in unum simul conflata: quoniam non levis inter illos dissensio, utra harum sint præstantiora & ad usum commodiora, placuit è tribus simul sumtis & adhibitis, verum elicere. Tycho namq; in centro Sextantis sui, loco instrumenti ab oculo remotiori, cylindrum constituit, simul propè oculum pinnacidium quoddam, non tantum unâ rimulâ sive fissurâ, sed duabus sibi invicem parallelis, quarum interstitium diametrum Cylindri omninò æquabat: Ricciolus loco Cylindri in centro erexit acum orthogonaliter, tantæ gracilitatis, ut computatâ distantia inter eam & oculum non tegat stellas, nisi minimas, reliquas autem optice bisecet; oculus verò collimabat in acum per foramen minutissimum: At Hevelius undeq; perspicacissimus, deprehendens Tychonis cylindrum parallaxeos erroribus, Riccioli verò acum non solum corruptioni, sed & aliis difficultatibus obnoxiam dari, quæsit viam aliam, quâ utrisq; præcaveri statuit, retinendo quidem Cylindros Tychonis, sed illum prope oculum beneficio certi cujusdam

dam